



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. XIV. De irregularitate ex Ordinum abusu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

CAPVT XIV.

De Irregularitate ex Ordinum abusu.

1. EX tribus Capitibus abusus Ordinum Irregularitatem in quibusdam circumstantiis inducit. Primum, quando ii prave suscipiuntur. Secundum, quando cum eos non habeas, eosdem tamen usurpas. Tercium, quando eos habens, eosdem tamen usurpas male.

§. I. Quando Ordines prave suscipiuntur.

1. **T**ria hic habet. Primum, eum, qui furtive Ordines suscipit, fieri irregularem per aliquos. Ita Suar. de *Cens. d. 42. sect. 3. n. 5.* Bonac. de *Ordin. g. unic. p. 4. n. 31.* & *clarius d. 7. de Irreg. g. 3. p. 4. n. 6.* Diana p. 4. *tract. 2. ref. 55.* G. Hurt. d. 2. de *Irreg. diff. 2.* alique, id quod colligunt ex *c. 1. 2. & 3. de eo, qui furtive.* Secundum, eum qui extra casus iure permisos, cum sit uxoratus, Sacros Ordines, vivente uxore, suscipit, fieri irregularem. Tercium, non fieri irregularem, sed duntaxat suspensum eum, qui per alia quædam familia delicta Ordines prave suscipit. Illustremus breviter singula.

2. Quoad Primum. Is, propriè dicitur furtive Ordines suscipere ad effectum incurrendi, per prædictos, in irregularitatem, qui se ordinandorum numero admisit, cum ad eos non fuerit ab iis, ad quos pertinebat, id est ab Episcopo, admissus. Unde sequitur, cum etiam furtive Ordines suscipere, qui alium supponit examini, & deinde is ad Ordinationem, loco illius, accedit.

3. Dixi autem (per aliquos) nam Doctores, ut notat Bonac. loc. cit. di. num. 6. non conveniunt, an in hoc casu incuratur suspensio, an irregularitas. Suar. & prædicti modo citati dicunt cum communi, incurri Irregularitatem. Gibal. cap. 5. de *Irreg. g. 1. n. 21.* alique aiunt, incurri solum suspensionem, fundanturque utrique Doctores in Textibus citatis, quos quilibet ad se trahit. Nobis hanc litem dirimendi otium non est. Videantur prædicti, sufficit enim scire, hanc esse dispensabilem ab Episcopo, eo modo, & distinctione, quam dixi, cum de Ordine c. 12. §. 1. à n. 34.

An prædictus furtive intrusus validè ordinetur, dixi in eodem *tr. de Ord. c. 6. §. 1. n. 13.*

4. Quoad Secundum. Is uxoratus, etiam solum per Matrimonium ratum, qui, præter casus in iure permisos, suscipit Ordines Sacros, irregularis est, vide *Extrav. Antig. de Voto* idque si ve sciens faciat, si ve per ignorantiam crassam nesciens, ut, si mortuæ sit sua uxor, ignorare negligat; ignorantia enim crassa dolo æquiparatur, ut *lib. 1. in Decalog. cap. 2. §. 10. num. 4.* dictum est?

5. Sed, quinam sunt casus iure permisi?
Respondeo, esse duos tantummodo. Primum, quando factum est legitimum divortium perpetuum. Secundum, quando adest mutus consensus, &c. De quibus, deque conditionibus tunc requisitis, supra dixi distinctè satis *lib. de Matrim. tr. 7.*

6. Quoad Tercium. Per alia quædam delicta circa dictos Ordines, Irregularitas non incurritur. Quare, quamvis aliqui putent. Primum, si quis suscipit Ordines ab Episcopo non consecrato, vel non baptizato. Secundum, si ab hæretico, vel schismatico. Tercium, si simul à duobus Episcopis, quorum unus materiam exhibeat, alter formam proferat. Quartum, si, qui est de ritu Latino, recipiat Ordines ab Episcopo Græci ritus. De hac re lege *Dianam p. 4. tr. 2. ref. 14.* vel contra. Quintum, si quis Ordines per saltum recipiat. Sextum, si eisdem suscipiat, non suscepto Constitutionis Sacramento. Septimum, si quis in Ordinum, vel Beneficii susceptione Simoniam committat. Octavum, si quis ordinetur ab Episcopo, qui renuntiavit loco, & dignitati Episcopali. Nonum, si quis

excommunicatus (nisi fortè Sacerdos, ut notat Suar. de *Cens. d. 12. sect. 1. num. 5.*) faciat coram se Missam celebrare. Decimum, si quis iterato Ordines suscipiat. Quamvis, inquam, aliqui putent, hos incurere in Irregularitatem, tamen alii probabilius negant, esto, peccent, & aliquando incurant suspensionem, ut in *tractatu de Ord. cap. penult.* dictum à nobis est. Lege tamen Suar. loc. cit. & *d. 42. de Cens. sect. 3.* & *Gibal. de Irreg. c. 5. g. 1. à num. præscriptum 14.* Prat. in *manusc. de Irreg. dist. 5. c. 3. fol. 490.* aliosque.

7. Sed adhuc inquires Primum. Si multi ex prædictis, ut dicitur in *tract. cit. de Ordine*, incurunt suspensionem, per quam, nec possunt ascendere ad alios Ordines, nec in susceptis ministrare, cum Irregularitas eisdem effectus pariat, quid interest dicere, hos incurere suspensionem, vel irregularitatem?

Respondeo, interest sanè. Nam, quamvis in aliquibus hæc duæ conveniant, differunt in aliis permaximè. Et sanè, ut cætera omittam, suspensus, si suspensionem violat, præter peccatum, incidit in aliam penam nempe in irregularitatem. At irregularis, si violat irregularitatem, peccat quidem, sed aliam penam non incurrit. Rursus, quia suspensio regulariter est censura, non item Irregularitas, qui solum habet auctoritatem absolventi à censuris, non potest absolvere ab irregularitate, poterit tamen aliquando, ut in *tract. de ipsa à suspensione.*

8. Inquires Secundum. Excommunicatus, Suspensus, Interdictus, uno verbo, ligatus aliqua censura, si Ordines recipiat, sitne eo ipso irregularis?

Respondeo, licet is gravissime, ut vult Suar. *l. max citando Diana p. 1. tract. 11. ref. 105.* peccet, puto probabilius, cum Suar. de *Cens. d. 31. sect. 1. n. 57.* Leand. de *Ord. d. 6. g. 17.* & *18.* non fieri eo ipso irregularem, quia irregularitas hæc ex abusu Ordinum incurritur, quando quis cum censura ministrat, seu exercet Ordines antea susceptos, ut mox §. 3. dicemus: at hic censuratus novum Ordinem suscipit, non vero utitur suscepto.

9. Illud etiam nota, ejusmodi administrationem, quæ te censuratum irregularem facit, debere esse, ut vult Suar. de *Cens. d. 42. sect. 3. n. 2.* extra illam Missam, in qua initiatis Sacerdos, quamque cum Episcopo celebras, quia in hac non diceris ministrare, seu exercere Ordinem, sed Ordinari ad ministrandum.

10. Subinquires. Eritne saltem suspensus, qui cum sit Excommunicatus, Ordines recipit?

Respondeo, De hac re dixi, cum de *Ord. supra lib. 6. de Ord. cap. 12. §. 1. à num. 8.* ubi asserui, certum esse, incurri suspensionem, si excommunicatus ex percussione Clerici Ordines suscipiat. At, si ex aliis causis, mihi esse incertum, sed propendere ad negandum. Relege omnino locum.

§. II. Ordinis, quem non habes usurpatis.

1. **S**i quis Clericus carens Ordine aliquo, exercent proprium actum ejus Ordinis, quo caret, idque serio, & ex animo, atque item culpabiliter, sine dubio contrahet irregularitatem, ut clarè constat ex *jure c. 1. & 2. de Cler. non ordinato ministrante.*

2. Dictum est Primum, (Clericus) nam licet communis Suar. *l. c. Avila p. 7. de 9. num. 2.* & aliorum opinio sit, etiam Laico sic delinquenti affigi ejusmodi Irregularitatem, tamen teste Barb. in *d. c. 1. Lez. V. Irreg. num. 59.* Castrop. de *Cens. d. 6. p. 18. n. 10.* Gibal. fusè & eruditè de *irreg. cap. 5. quest. 1. num. 25.* Diana part. 1. *tract. 7. ref. 44.* Vbi quid de Diacono porrigente Euchar. probabilis est, affigi duntaxat Clerico, quia de solo Clerico meminit prædictum Ius.

3. Dictum est Secundum (Proprium actum Ordinis) nam tunc solum incurritur irregularitas, non vero, quando exercetur à Clerico actus, qui proprius non est Ordinis. Hinc celebrare Missam, solemniter baptizare, Confectiones audire, & absolvere à peccatis, conferre Ordines, dare Benedictiones: quæ à solis Episcopis, vel Sacerdotibus

dotibus solent dari, qualis est Benedictio Nuptiarum quia, inquam, hi sunt proprii actus Ordinis Sacerdotalis, seu Episcopalis, propterea Clericus non Sacerdos eos exercens sit irregularis. Si quis autem, cum sit Sacerdos tentat, sine legitima approbatione absolvere aliquem à peccatis, vel sine licentia Parochi baptizat solemniter, vel sine eadem licentia Extremam Vocationem confert, vel, cum non sit Sacerdos, seu Diaconus, concionatur in Templo, etiam cum stola, vel, cum sit Episcopus, ordinat subditum alienum sine Dimissoriis, vel Ordinationem celebrat in aliena Diocesi sine licentia Ordinarii, vel, cum sit suspensus à Pontificalibus, celebrat cum Episcopali apparatu, quia hi non sunt proprii actus ordinis, sed actus potestatis jurisdictionalis, ideo Clericus eos actus faciens, licet peccet, irregularitatem non incurrit.

4. Propter eandem rationem, quando aliquis actus Ordinis, quoad substantiam, exerceri potest à non habente ejusmodi Ordinem, sed exhibitum sub tali, vel tali modo est dicti Ordinis proprius, si hoc modo à Clerico fiat, licet irregularis, non vero, si solum fiat, quo ad meram substantiam, Non Diaconus, v.g. si cantet Evangelium in Missa solenni cum Dalmatica, Stola, & Manipulo, & non Subdiaconus cantet Epistolam in simili solenni Missa cum Turicella, & Manipulo, evadit irregularis (excipe nisi alicubi adesset contraria legitima consuetudo, vel legitimum privilegium). At iidem, si sine memorato apparatu cantent dictum Evangelium, vel Epistolam, ille sine stola, hic sine Manipulo, quamvis sacris vestibus sint induti, irregulares non fient. Ita S. V. Irreg. ex Ord. abus. n. 3. Squillan. de pri. Cler. p. 2. n. 67. quia cum stola, vel Manipulo exhibetur actus proprius illorum Ordinum, non vero sine illis.

5. Denique propter eandem rationem, exercere actus Ordinum Minorum à non habentibus illos, non est irregularitatis causa, quia hi actus non sunt ita proprii Ordinum, ut à Laicis exerceri non possint. Leg. Leandr. de Ord. d. 2. q. 23. & 24. Layman. lib. 5. tract. 5. p. 5. cap. 5. Avil. p. 7. d. 9. sect. 2. dub. 3.

6. Ad maiorem explicationem huius, de qua agimus, irregularitatis, ne ignores, nonnullos putare, ut Navar. Henr. Avilam, quos cit. sequiturque Layman. lib. 1. tract. 5. p. 5. c. 3. n. 2. Theaur. loc. cit. V. Ord. c. 32. eam esse totalem, id est prohibere ascensum ad altiores Ordines, & vetare usum susceptorum, sed addunt, quoad hunc usum, non vero quoad ascensum, posse dispensari ab Episcopo post biennium. Nonnullos vero, ut Suar. & Coninch. apud Layman. cit. putare, esse limitatam, per quam scilicet vitetur delinquens ad altiores Ordines ascendere, sed solum ad tempus biennii, vel triennii vetetur sub poena suspensionis usus ultimi Ordinis suscepti; v.g. vetetur Diacono usus Diaconatus, non vero, usus anterioris Ordinis, id est Subdiaconatus, &c. Utraque sententia probabilis est, quia, clarè Textus c. 1. & 2. de Cler. non ordinato ministrante nequaquam loquitur.

§. I. I. Ordinis, quem habet, usurpatio prava.

1. Si quis Clericus violat Censuram, id est cum sit excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus exercet culpabiliter actus proprios Ordinis Majorum, quos habet, quod certè est violare Censuram, quia quis est innodatus, sit, toto tit. de Clero excom. ministrante, statim irregularis, atque adeo incurrit effectus omnes irregularitatis supra c. 6. explicatos. Quod autem Clericus, quamvis ipse non interdictus, si violat interdictum locale, & similia, dicitur in tract. de interdicto.

2. Dixi Primos, (Cum Censura, &c.) Neque enim ex quocunque Ordinis abusu irregularitas incurritur, sed solum ex abusu cum violatione censuræ, nam propterea Sacerdos celebrans in peccato mortali, sed nulla laborans Censura, peccabit quidem, sed nullam irregularitatem incurrit.

3. Propter eandem rationem, quia Irregularitas non

est Censura. Qui, cum sit irregularis, celebrat v.g. in incurrit aliam irregularitatem, ut notat r. de Sup. de Cens. d. 1. o. sect. 2. & d. 42. sect. 3. Bonac. d. 7. de Cens. p. 4. n. 4. & rectè notant alij, ut Covar. in Cler. 3. §. 1. p. 1. §. 1. n. 5. Avil. de Cens. p. 7. d. 9. sect. 2. dub. 4. quia illi, qui celebrant, &c. si celebrant, cum hi de defectu non sunt Censura, quam per celebrationem talis Sacerdos violat.

4. Dixi Secundò, (Inculpabiliter) nam si quis bona fide credens, se v.g. fuisse à Censura absolutum, & deinde appellasse, celebrat, non fiet irregularis. Ita Theaur. V. Cens. c. 11. Decisio Rotæ Romanæ 408. inter Possessum Farinacium, etiam si deinde constet appellationem fuisse illegitimam, ut probat Cartar. decis. 34.

5. Idem esse, si ob vitandum scandalum, vel modicum infamiam, celebret v.g. cum excommunicatus, notat Lez. V. Irreg. n. 55. Galp. Hurt. de Suspens. non diff. §. d. 13. & nos de excommunic. cap. 2. universali diximus.

6. Dixi Tertiò, (Actus proprius) non enim incurrit irregularitas, si eos actus exercet Clericus Censuratus, quos alter Laicus exercere potest. Actus autem proprii Ordinum sunt iidem, quos §. preced. num. 3. & 4. enumeravi, & minutius enumerat Gibbal. c. 5. Irreg. 2. n. 5. quæ, si bene percipiuntur, confirmant Regulam illam universalem Suarii d. 11. de Cens. sect. 3. n. 26. Excommunicatus ministrans ex officio Sacramentum, si ipso facto Irregularis.

7. Dixi Quartò, (Ordinum Minorum) nam Minorum exercens non evadit irregularis. Excipe, nisi forte, cum sit censura irritus ex eo, quod suscepit in Minoribus Ordines cum Simonia, exercet contrarium Minorum Ordinum actus, tunc enim ex constitutione S. in V. in const. contra male promotos, erit Irregularis.

8. Inquires Primò, docetur in tractatu de suspensione, & interdicto, aliquando hæc imponitur Censura, id est, ut poenam medicinalem, aliquando in vindictam, id est, ut poenam poenalem delicti. Inquires, inquit, an, qui violat suspensionem, & interdictum, ut poenam poenalem, cum illam non violat, ut censuram, fiat irregularis?

9. Respondeo, fieri, docet Suarez d. 26. de Cens. sect. 2. num. 4. Adde Bonac. de Susp. part. 4. num. 5. cit. cit. Non fieri, putat Alphonsus de Leone lib. 6. de Cens. num. 5. & Villal. tom. 1. tract. 1. §. diff. 3. num. 57. quia fuit in odiosis. Verum sentendam cum Suariorum, quia etiam citius ejus sententia probatur ex cap. 1. de re ipsa, ubi violans suspensionem per unum annum interdictum (quæ certè, ut sic infliguntur) ut in eodem tract. docetur, pura poena, pronuntiatur irregularis, & merito, quia utraque est eadem ratio, cum utraque piver exco. Ordinis.

10. Inquires Secundò, Qui pluries cum Censura actus Ordinis exercet, plures Irregularitates incurrit?

11. Respondeo, cum necessaria distinctione, Si eadem numero censuram violas, unam irregularitatem contrahes. Quare, si excommunicatus celebret Missam, etiam centies, unam Irregularitatem contrahes, licet pluries sic celebrando, pluries peccet. Ita Sanchez, de matrim. lib. 4. d. 24. n. 7. Theaur. loc. cit. c. 11. Bonac. d. 7. de Cens. q. 1. n. 4. Castrop. tom. 1. ar. 3. p. 16. §. 4. fine, contra Gibbal. Cens. disp. 5. q. 5. num. 13. sect. 43. At, si violas Censuram de versæ rationis, plures irregularitates, juxta pluralitatem dictarum censurarum, contrahes: si excommunicatus v.g. suspensus, interdictus Missam unam celebrat, tres contrahes Irregularitates distinctè explicandas, & fortè ab illis dispensationem petas. Ita Lez. V. Irregul. num. 56.

12. Quid, si violentur plures Censuræ ejusdem rationis? Titius v.g. est pluries excommunicatus, quia pluries percussit Clericos, & cum is excommunicatus Missam celebravit, incurrit plures Irregularitates. Respon-

13. Respondeo. Ita videri Gibal. *loc. cit. dicto n. 13. sect. 4.* sed oppositum non esse improbabile, putat Castrop. *loc. cit. favetque Avila, d. 7. d. 10. dub. 8.* quoniam si est otium lege.

14. Inquires tertio. Si quis prohibitus sub excommunicatione lata sententia, ne celebret; ipse tamen celebret, unde, & peccet, & in excommunicationem incidat, inquires, inquam, etiam incurrat in irregularitatem?

15. Respondeo, nequaquam cum Gibal. *de irreg. c. 3. q. 2. n. 11.* incurrere, quia in illa celebratione incurrit excommunicationem, ergo prius intelligitur jam celebrasse, & deinde incidisse in excommunicationem. Non igitur celebravit cum excommunicatione. Quod si iterum celebret, tunc enim vero violabit Censuram, & irregularitatem effugere non poterit.

16. Inquires quarto. Si quis irreteus Censura exerceat actum Ordinis, quem habet, qui actus propter aliquam rationem sit nullus, incurrere in irregularitatem? Absolvat v. g. excommunicatus hominem, qui sine debito dolore ad Confessionem accessit, unde sacrilege, atque adeo nulliter absolutionem receperit; etiam hic irregularis? Idem inquiri potest, si idem excommunicatus consecret in aqua, vel in pane non triticeo, si baptizet sine aqua naturali, si Episcopus excommunicatus ordinet feminam, vel non baptizatum, &c.

17. Respondeo. Distinguit Suar. *de Censur. d. 11. sect. 3. n. 14. & 15.* Si Minister hic excommunicatus sciens actum fore invalidum, scilicet se gerat, proferet v. g. verba extrinsecus, sed absque intentione faciendi verum actum, seu verum Sacramentum, non incurrit in irregularitatem, quia actus procedens a ficta intentione non dicitur ulus Ordinis. Si vero habeat intentionem verum actum, seu Sacramentum facendi, sed ex defectu materiae, vel alterius circumstantiae Sacramentum non facit, probabilis putat in irregularitatem incurrere, quia tunc ille serius, ac voluntarius conatus faciendi actum, abusus Ordinis est. Scio Prætem, in *manus. de Irreg. d. 5. c. 4. §. 1. num. 18. fol. 507.* putare etiam in hoc secundo casu non incurrere irregularitatem, sed, quia illum sequi saltem tutius nolo, non est necesse in re rara amplius immorari.

18. Inquires quinto. Si Sacerdos excommunicatus toleratus ad petitionem Fidelium non habentium v. g. alium Sacerdotem, nisi hunc, celebret Sacram die festo, ut ita satisfaciatur præcepto, potestne licet tunc celebrare, & effugere incursum in irregularitatem? Supponimus autem ne is peccet, se posuisse in gratia saltem per contritionem.

19. Respondeo, Castrop. *de Cens. d. 2. p. 8. n. 4.* videtur concedere his verbis. Ex quo fit, si dies occurrat festivus, neque adsit alius Sacerdos, qui Missam populo faciat posse excommunicatum (utique toleratum) celebrare, quia præsumitur populus petere sacrificium necessarium pro præcepto audiendi Sacram exequendo, ut bene Navarr. Suar. Filliac. Bonacina. Hæc Castropalaus.

20. Inquires sexto. Si is, cui est interdictus ingressus in Ecclesiam, celebret, incurrere in irregularitatem? Respondeo, incurrer, quia adhuc tunc violat Censuram ut habes apud Suar. *de Censur. d. 35. sect. 4.* Leandr. *de Interd. d. 7. serè per totam*, alioque.

§. IV. Quis dispense in prædictis ex abusu Ordinis?

1. Irregularitatem contractam primo modo ex dictis §. 1. hoc est ex furtiva Ordinum susceptione, si tamen ea contrahitur, est dispensabilis ab Episcopo si non præcessit prohibitio excommunicationis. Id quo modo se habeat, dixi in *Traictat de Ord. cap. 12. à n. 34.* & videri potest Thesaurus de pœnis Ecclesiasticis p. 2. V. Ordo c. 7. præsertim §. Adverte secundo. Quando autem crimen est occultum, dispensari semper posse ab Episcopo sic concedente *sess. 24. c. 6. de Res. jam non ignoras.*

Paris 111.

2. Irregularitatem contractam secundo modo ex dictis in eodem §. 1. hoc est ex Ordine suscepto ab uxore, tunc solum potest Episcopus dispensare, quando sic ordinatus ingrederetur Religionem, mortua jam uxore, vel perpetuo divorcio celebrato.

3. Irregularitatem denique contractam ex usurpatione Ordinis, quem non habes, vel ex prava administratione Ordinis, quem habes, de qua dictum est §. 2. & 3. à solo Pontifice dispensatur, nisi, quando est occulta, quæ potest ab Episcopo ex dicto Tridentino.

CAPVT XV.

De Irregularitate ex occisione hominis.

§. I. Dispositio eorum, quæ in hoc capite sunt tractanda.

1. VT ex Ordine progrediamur, agam hinc primò, de homicidio casuali, præter intentionem, & quidem physicè commissio.

Secundo, de eodem casuali, sed moraliter commissio, id est orto ex mandato, consilio, &c. ad aliud, quam ad homicidium.

Tertio, de physicè, & quidem injustè commissio intentione, id est de homicidio voluntario.

Quarto, de eodem voluntariè commissio moraliter, per mandatum, consilium, &c.

Quinto, de mutilatione, quæ etiam ipsa causa Irregularitatis est.

Sexto, de occisione iustè patrata à Ministris iustitiæ.

Septimo, de eadem iustè patrata à militibus in bello.

Octavo, de eadem commissio in sui defensionem.

In re sexcentis nodis implexa lucem nobis præferat Lux æterna.

DE IRREGULARITATE EX HOMICIDIO CASUALI.

§. II. Ex quoniam casuali homicidio incurritur Irregularitas?

1. Homicidium, quod casuale appellamus ex eo, quod casu, id est præter intentionem occidentis fit, tribus contingere modis potest.

3. Primo, quando quis volens occidere quemquam, nec de occisione cogitans, vel subdubians, opus tamen ponit ex quo omnino per accidens sequitur occisio alicujus, præter suam intentionem. Solet afferri exemplum, ut, si famulum quis ducat secum ad venandum, & famulus casu decidat ab equo, moriaturque.

4. Secundo, quando quis opus ponit, ex quo non solet, nec semper, nec sæpè mors alterius sequi, interdum tamen sequitur; ipse autem mortem nullo modo intendit, sed illam prævidens, vel saltem de illa subdubians, non adhibet remedia, ut non sequatur, vel, si talia remedia non ad sunt, non desistit ab opere, ut certè nunc ex iustitia desistere deberet. Exemplum solet afferri de eo, qui projicit lapides, & ligna in publicam viam, nullo signo dato, quo transeuntes sibi caveant, cum tamen advertat, vel certè de alicujus morte subdubiet, quamvis illam non intendat.

5. Tertio, quando quis opus ponit, ex quo solet sequi occisio, caput v. g. inimici graviter frangit, ictum gladii in pectus impingit, &c. animo tamen illum non occidendi, sed solum vulnerandi.

6. Primum ex his dicitur homicidium verè casuale. Secundum, dicitur mixtum à casuali, & voluntario. Tertium, verè voluntarium.

7. Iam de hoc tertio verè voluntario agemus §. 7. quando de homicidio voluntario disputabimus. De secundo hic est proprius agendi locus, nam de primo nihil dicendum erit, quia per omnes hoc lege Farin. *de homic. q. 126. n. 1. & 2.*

L I primo